



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiae Parisiorum, 1678**

XII. In Obitum Juliae Lucinae D'Angennes De Rambouillet, Ducis De Montausier, Regiae proli educationi alias praefectae, ac demum reginae ipsius honorariae comiti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

Et caute ille quidem pluvialibus irruit undis.  
Si res acta foret fulmine, victus erat.

## XI.

## AD EUNDEM.

*Cum gravissima & elegantissima oratione curiam  
de more aperuisset.*

**A**URE favete omnes: Themidis dum rite sacerdos  
Aurea recludens limina, verba facit.  
Proh! quanta insistit facundis gratia labris;  
Atque expers fuci, nudus & arte lepos!  
Non sic grandiloqui Demosthenis ora sonabant,  
Cum fando Æmonii frangeret arma ducis.  
Non sic terrarum reginam Tullius urbem  
Flexit ad eloquii mollia fræna sui.  
Par caput est, mundoque tibi mens æqua regendo  
Gallia; sunt faciles vincere cuncta manus.  
Majestate tua dignam nunc denique linguam,  
Quæ leges populis juraque dicat, habe.

## XII.

## IN OBITUM

JULIÆ LUCINÆ D'ANGENNES DE RAMBOUILLET,  
DUCIS DE MONTAUSIER,

*Regiæ prolis educationi alias præfecta, ac demum reginæ  
ipsius honoraria comiti.*

**Q**UISQUIS es huc gressus oculosque advertite viator;  
Sique potes lacrymas, dum legis ista, tene.  
Julia Romanis Francisque heroibus orta,  
Junctæ stirpis honos, atque corona domûs:

Progenies magnæ non impar Julia matri,  
 Atque triumphali nubere digna viro:  
 Augustæ comes, & Delphini Julia custos,  
 Virtutis merito conveniente gradu.  
 Floribus æternis & cantibus inclyta vatam,  
 Sed magis ingenio Julia clara suo:  
 Heu! rapta ante diem crudelibus occubat umbris;  
 Et cinis est, nuper quæ stupor orbis erat.  
 Illius edoctus mortem quid plura requiras?  
 Barbarus est, cui non cognita vita fuit.

## XIII.

## IN OBITUM MAGNI TURENNII;

*Quem Gallorum de fœderatis sequuta est victoria.*

**P**OSTQUAM fulmineo Turennius occidit ictu,  
 Nam telo haud poterat debiliore mori;  
 Teutones exclamant: Nostra est victoria; Marti  
 Nulla tuo ad palmas jam mora, Cæsar, erit.  
 Franca simul vulsis invadunt agmina signis,  
 Heu! ducis indigno funere fracta sui.  
 Mira fides: viso redit hoste in pectora virtus;  
 Majoresque animos fecit ad arma dolor.  
 Saxonas ense metunt. Restagnans sanguine Rhenus  
 Vandalico, rubris in mare currit aquis.  
 Ipsa triumphali feretro victoria, plenâ  
 Accumulat lauros, debita ferta, manu.  
 Ingentique vocans manes clamore beatos:  
 Sumite, ait, nostrâ munera digna fide.  
 Tu, quantus fuerit Turennius, Austria, disce:  
 Sufficit ad clades illius umbra tuas.